Externe, inquit *Valentini* in *Historia simplicium*, in atrophia sive tabe Membrorum multum opis præstat, quando, præter crebriorem motum, ista vel ipso Euphorbio aut ejus oleo, (apud *Schroderum* descripto) diligenter fricentur, qua ratione amicum quendam, cui brachium aridum prorsus consumptum erat, curavi.

N. *EUPHRASIA* Offic. C. B. *Eyebright.*

Celebravit eam *Matthæus Sylvaticus*, qui vixit circa annum 1320.

Folia cum floribus subamara sunt, & subadstringentia. Succus subsalsus, amarus, non mutabatur a Vitriolo viridi, sed decoctum inde mutabatur, ut infra.

Rubefacit aliquantulum Chartam cæruleam, ac infusum mutat solutionem Heliotropii ad flavescentem rubrum colorem, & succus plus tendit ad acidum, quam Centaurium minus, & minus spissus fit cum Spiritu Vitrioli atque Aceto destillato, quam cum Spiritu Cornu Cervi Oleoque Tartari.

Decoctum subadstringens erat, & mecum viridescebat cum Vitriolo viridi, cum *Lewisio* vero nigrescebat.

Vis adstringens extrahitur partim Aqua, partim Sipritu Vini.

Succus dicitur tollere nubeculas & albugines Oculi. Inflammationibus & caligini oculorum tusa imponitur: notat tamen *Hoffmannus*, non quamvis, sed eam tantum, caliginem curare, quæ a pituita frigida: quippe operari videtur leniter detergendo & roborando; leniter, inquam, pro ratione teneritudinis organi: quinimo quocunque modo sumatur, in cibis, potibus vel medicamentis, præstare dicitur ad omnia impedimenta, quæ claritati oculorum officiunt, præsertim ubi pituita aut pinguedo redundat; testaturque *Hieronymus Tragus*, se Euphrasiam in morbo arquato utilissimam comperisse vino decoctam & calidam ægro propinatam.

F.

1. C. *FABA MAJOR.* C. B. *Garden Bean.*

2. *FABA MINOR*, seu equina C. B. *Horse Bean.*

Farina fabarum offic. Veteribus dicebatur *Faba fresa*, vel *fressa*, quod idem est cum fracta, item *Lomentum*, vel *Lomentum fabæ.*

An *Boona*, sive *Bean* sit Veterum Faba non levis est inter botanicos controversia. Certe, Veterum faba fuit parva & rotunda. E contra, impossibile fere est, quod legumen adeo vulgare, & quotidiani usus, in desuetudinem abierit, inque ejus locum & nomen *Boona* successerit, nemine conscio. Tota

Infubriâ & Liguriâ, recentes Fabæ, vendentium voce, appellantur Baianæ, unde, ut verifimile eft, & noftrum & Germanicum *Bean* vel *Boon*.

„ Perperam, (notante *Hoffmanno*) inftituitur comparatio cum noftra faba „ majore, quum deberet cum minore. Fortaffis ea non tum fuit perducta „ ad id magnitudinis mangonio ".

Confentio *Schrodero*, dicenti; „ Sunt, qui inter Fabas & Boonas diftin- „ guunt, fabisque nos carere volunt, Boonis contra frui. Sufficit nobis, quod „ viribus conveniant " & *Bodæo a Stapel* in *Notis* ad *Theophraftum*, fcil. „ Fabam vulgarem dicunt botanici expertiffimi easdem vires habere, quas „ Græci antiquiffimi Fabæ tribuunt. Faba minor, feu equina, plurimas no- „ tas habet, a veteribus fabæ datas, imo fortaffis omnes. "

Fabæ recentes, propter humiditatem, qualitatum fere expertes funt, temporis proceffu maturatæ ac ficcatæ dulciores evadunt.

Hordeacea fabarumque farina nullum calorem obtinent. Faba inflationem excitat, ægre concoquitur, tumultuofa fomnia facit: flatulentus eft cibus, etiamfi elixatus diutiffime fuerit, aut quovis modo paratus: qui autem animum intendunt, eosque effectus, qui poft fingulos cibos manent, animo adfequuntur, fentiunt in toto corpore, tanquam a fpiritu flatulento, tenfionem quandam, præcipue fi quis, huic cibo non affuetus, aut ipfum non belle percoctum fumpferit. Flatulentia corrigitur cæpis admiftis: & frixæ flatum deponunt, fed concoctu funt difficillimæ, tarde prætereuntes, & craffi fucci alimentum corpori præbentes.

Virides, fi ante maturitatem edantur, humidius alimentum corpori præbent, minus nutriunt, promptius dejiciuntur.

E faba tentatus fuit panis, & pabulo omnium quadrupedum generi præcipue homini venalis eft: frumento etiam mifcetur apud plerasque gentes, quem morem (notante *Harduino*) hodie Allobroges tenent, ut fiat folidior panis.

Non fuccum malum procreat faba, nec meatus eos infarcit, in quibus falubrium ciborum fumma verfatur: facultate prædita eft abfterforia ut hordeum, minus abfterforia quidem quam hordeum, fed magis quam pifum. Hoc edulio quotidie utuntur gladiatores, carnem non denfam, nec conftrictam, fed fublaxam generante.

Inter femen generantia locatur, utpote tum copiofe alens, tum corpus flatu implens, craffioris effentiæ & magis nutriens, quam hordeum.

Farinæ vis detergendi patet ab ejus ufu quotidiano apud mangones & mulieres in balneis, quemadmodum apud alios Nitri & Aphronitri: hac præterea & faciem inungunt, tollit enim lentes, quæ in fumma cute apparent, quas Ephelin vocant, & ob hanc facultatem ventrem non cunctanter permeant.

meant. Proinde cutis universæ & ulcerum fordes aufert, moderatissime detergens, & absque acrimonia, præsertim faba *fresa* elixa.

Porro, ad sugillata faba *fresa* commanducata imponitur cum melle, quin & fabæ *Lomentum* etiam citra manducationem cum melle subactum, livida discutit, ex manducatione autem summe discussoria redditur, nimirum viribus à saliva desumptis.

In nervis, cum cute contusis, Athletæ, usu edocti, habent cataplasma, quod ex oxymelite & farina fabacea conficitur, & plane salutare medicamentum est.

Lomentum cicatrices ad reliquæ cutis colorem reducit: turgentes grumoso lacte mammas, etiamsi inflammatione tententur, adjuvat, idque in eis extinguit. Furunculos, parotidasque & sub oculis livores cum fœni græci farina & melle discutit: cum rosa autem, thure, ovi candido, procidentes oculos, eorumque staphylomata, tumoresque reprimit. Subactum vino suffusiones & ictus oculorum recreat. Vitiliginem purgat.

Exscreationibus ex thorace ac pulmone idonea est faba, quatenus extersoriæ facultatis particeps est: & in cibo *fressa* (i. e. fracta) & cum allio cocta, contra deploratas tusses & purulentas exscreationes quotidiano usu sumitur.

Dicitur facere renum passionem, quæ appellatur capillitium, quando nempe cum crassa urina veluti pili exeunt.

Vulnerum inflammationes mitigat. Manducata sine cortice faba ad avertendas fluxiones fronti illinitur. Decocta in vino testium inflammationes sanat. Commanducata jejuno ad furunculos maturandos discutiendosve imponitur. Si tardius pubes erumpat pueris, imo ventri illinitur.

Decocta in posca, & cum suo cortice esitata, dysenterias & cœliacorum profluvia sistit. Contra vomitiones convenienter manditur.

Faba, dempto cortice, in illas partes divisa, in quas suapte natura scinditur, imponi solet sanguinis defluxionibus, ab hirudine concitatis, namque eas supprimit si semisecta apprimatur.

Cortex modice adstrictoriæ facultatis particeps est, &, per se decocta ad tertias, sistit alvum.

Eo illiti Capilli, qui post avulsionem renascuntur, gracilescunt & minus alimenti capessunt.

Cum polenta, scisso alumine, & vetere Oleo impositi Cortices strumas discutiunt. Decocto eorum lanæ inficiuntur.

NOTÆ. Farina subdulcis est, & simul graveolens quid resipit.
Nobiscum panis fit ex faba & hordeo.

Cata-

Cataplasma ex farina cum Oxymelite ſimplici optimum eſt reſolvens in teſtibus tumidis (*e*).

Infuſum Corticis in aqua nigrum fit a Vitriolo viridi.

Caules, ut Abſinthii & Geniſtæ, cineres præbent Alcalinos perfectos, alterius materiæ ſalinæ expertes, ſecus quam plura alia vegetabilia, quorum cineres plus aliorum ſalium quam Alcalinorum continent; & hoc eo magis notatu dignum, quoniam hinc explicatur vis lixivii è cineribus caulium in curandis doloribus nephriticis & arenulas expellendis, vel dato Sale, ad grana vij, in liquore appropriato.

Chirurgi collectiones & tumores fabacea farina, in aceto & vappa decocta, oleoque admixta, diſcutere ac ſanare conſueverunt; & in inflammationibus teſtium, mammarumque dici vix poteſt, authore *Simone Pauli*, quantum faba freſa vel Lomentum valeat, quippe quæ eas vel diſcutit vel ad ſuppurationem perducit.

Quidam, tres vel quatuor menſes infeſtatus ani fiſtulâ, ex condylomate prognatâ, aliis fruſtra tentatis, præter omnium ſpem, valetudinem integram conſequutus eſt ſolo uſu Fabarum, præſertim rubrarum, non contritarum, pulmenti ex lacte in modum coctarum, his veſperi hora ſomni & mane veſcens.

Si adſtrictio requiratur, uſurpetur non decorticata.

C. *FAGUS* C. B. *The Beech tree* Fructus.

Fagus Latinorum non eſt φηγος Græcorum, ſed illorum, ac *Theophraſti*, οξυη: proinde de viribus nihil ex *Dioſcoride* aut *Galeno* petendum; horum enim φηγος a Fago noſtra prorſus diverſa eſt.

Oxya *Theophraſti* duplex eſt, montana & campeſtris: prior, notante *Cæſalpino*, eſt Fagus noſtra, ad multa perutilis, verum campeſtris hactenus nobis non viſa. De fructu prioris refert *Theophraſtus*, dulcedine & ſucco ſimilem eſſe Caſtaneis, quod Fago *Plinii* optime quadrat, ejus enim glandem dulciſſimam eſſe ait, quum Græcorum φηγος dicitur valentius adſtringere quam quercus: nec unquam dulceſcere ætate, ſed perſeverare in ſua acerbitate author eſt *Galenus*: verum Fagi glans apud *Plinium* non tantum dulciſſima eſt, ſed ea obſeſſos etiam homines duraſſe in oppido Chio tradidit *Cornelius Alexander*. Muribus gratiſſima, glires ſaginat: expetitur & turdis.

NOTÆ.

(*e*) Cataplasmata ex leguminibus diutius madorem retinent, quam ex cerealibus, utpote magis oleoſis.

NOTÆ. Glandes dulces ſunt, ſubadſtringentes, & eſui aptæ, non tantum muribus & ſciuris, ſed cervis & urſis; ſues quoque iis ſaginantur, & exoptatus eſt cibus turdis, merulis, columbis, aliisque volatilibus, & pauperculæ plebi.

Dolores nephriticos, a Calculo ortos, leniunt eſtæ, & expellunt arenulas.

Authore *J. Bauhino*, Glans ſaginea, potiſſimum virens & nondum exſiccata, ſi paulo copioſius comedatur, Lolii inſtar, caput turbat, & ipſos ſues, aſſerunt, ejus uſu turbulentos reddi tandemque obdormiſcere.

C. *FEL. Gall.*

Fel eſt calidiſſimus omnium animalium humorum, amarum, acre plus minus in variis animalibus. Flava Bilis calidior eſt pallidâ, flavior fit per exercitia, inediam, ſitim, candidior vero a contrariis. In calidis animalibus, quæ fame & ſiti torquentur, flava Bilis ſuperaſſata ad atrum colorem vergit, æruginoſum vel cæruleum: contra bilis, urina & ſaliva ſumpto cibo imbecilles redduntur.

1. *Suilla* Bilis omnium imbecillima, ut ne Ulceribus quidem toleratu ſit difficilis, & apparet omnium bilium eſſe maxime aquea. Hac (ſcil domeſtici ſuis) utuntur ad ulcera aurium.

2. *Ovilla* paulo acrior eſt ſuillâ: hinc, ubi ulcus diuturnum fuerit, multam ſaniem & pus contineat, etiam hanc, utpote ſicciorem, bilem perferat.

3. *Caprarum* bilis acrior eſt quam Ovilla.

4. *Tauri* bilis valentior eſt, multo calidior ſicciorque quam boûm caſtratorum, præſertim in defatigato & vinculis tracto.

5. *Volatilium* biles tum acriores, tum ſicciores quam quadrupedum, & inter ipſas quoque volucres, gallinarum & perdicum biles ad medicinæ uſum probatiores habentur. Accipitrum & aquilarum acres ſunt & erodunt, coloris æruginei & nonnunquam atri.

6. Præſtantiores adhuc in effectu videntur *Biles Piſcium*, privatim bilis Hyænarum, ſed & hæc inferior bile piſcis Calionymi dicti, Scorpii marini, & marinæ teſtudinis, quorum fel ſingulariter à medicis extollitur ad oculorum aciem exacuendam, & ſuffuſionum initia detergenda: tum galli & perdicis ad eundem uſum.

7. *Fel venenatorum animalium* tota eſſentia nobis contrarium, genere deleterium, non quantitate.

Fel omne eſt ſiccum, attenuativum, diſcuſſorium, quod ex operibus particularibus patebit, nam Felle omni perfacilem, præſertim infantibus, dejectionem quis molietur, ſi intinctum ei tomentum aut fimbriam ſedi ſubjiciat.

Ad caligines fel cum paſſo prodeſt. Privatim, Taurinum lepras & furfures cum nitro & terra Cimolia potentiſſime exterit.

Eo cum melle ſedis ulcera ſanantur, & ad cicatricem usque perducuntur, necnon phagedænicis ulceribus colis, & ſcroti doloribus prodeſt, quemadmodum fel animalium calidorum & ſiccorum fortiſſimum fere medicamentorum eſt ad achores, ſeu capitis ulcera manantia.

Idem, nempe taurinum, auribus purulentis earumque fracturis cum muliebri lacte aut caprino inſtillatum medetur, & ſibilo eorundem ex porri ſucco. Ovillum & urſinum ad eadem pollent, ſed inefficacius hæc præſtant.

Aurium dolores, ex obturatione aut frigiditate inductos, juvat fel taurinum aut caprinum, cum porri ſucco inſtillatum, ſed ex inflammatione, tum ex acribus mordacibusque humoribus dolores obortos auget.

Ad viſûs obſcuritatem, cum æquali pondere ſucci fæniculi, duplo mellis, prodeſt.

Perungitur cum melle anginis.

Apud *Hippocratem* datur ad expellendum fœtum mortuum, & in vino jejunæ bibendum ad purgationem uteri.

Capræ ſylveſtris fel cum vino prodeſt contra ſuffuſiones incipientes, & oculorum caligines, albugines, genarumque ſcabritias. Cum veratri albi tertia parte contra glaucomata adhibetur.

Ad redundantes in palpebris pilos, oculum infeſtantes, evulſis cum radicibus pilis, ſi obducatur locus felle capræ, dicitur, quod pili nunquam renaſcentur. *Hard.* Not. in *Plinium*.

NOTÆ. Amarum eſt, dulce, viſcoſum, nauſeoſum. Expetitur præcipue Tauri, utpote acriore ſtimulo incitans, & in Clyſteribus uſitatum abſtergens, prodeſt in ungula, nebula & albugine oculorum, lumbricosque enecat, quamobrem in Epilepſia, a cauſa Verminante, in primis viis hærente, dudum laudatum ſit.

Fel non eſt Alcalinum, donec actionem ignis vel putrefactionis paſſum ſit; non enim effervefcit cum Acidis, niſi Spiritu Nitri, qui quoque effervefcit cum Oleis eſſentialibus; verum amarities ejus augetur ab alcalinis, debilitatur ab acidis; & Acida mineralia concentrata bilem coagulant albidamque reddunt.

A Spiritu Vitrioli affuſo oritur color viridefcens, dum Bilis in ſua veſica flava ſit, unde patet ratio cur Bilis in inteſtinis viridis fiat, ab Acido nempe ibidem hærente. Lactis coagulationem præcavet, & coagulatum reſolvit.

Eſt ſapo acris non combuſtilis, niſi prius ſiccatum ſit fel.

Omnia oleoſa, balſamica, reſinoſa aquæ miſcibilia reddit.

Hi effectus a plerisque hactenus deducti ſunt a Sale alcalino, ſed ab experimentis noſtratis *Macbride* patet, hunc inter errores vulgares locandum eſſe; ipſo

ipſo enim notante, Bilis bovina, etiam putrida non effervefcebat cum Acidis, nec mutabat colorem Syrupi Violarum, nec fœtor ejus æque ingratus ac fœtor carnis putridæ vel ſanguinis putridi; & hinc infert, Bilis effectum, in affimilatione oleoforum cum aqueis, non fieri a Sale alcalino, oleo unito, fed potius a vi ejus abforbendi Aërem fixum, vinculum cohæfionis, in iis corporibus. Vide Ejus *Experimental Effays*.

Fel externe laudatur ad abdomen inungendum in inertia bilis & ad vermes necandum: quin & ufurpatur in enemate contra alvum adftrictam, & interno ufu in morbis ex glutine fpontaneo, in obftructionibus primarum viarum, & ubi deficit bilis; infpiffatum, & in pilulas redactum ad ʒj, dicitur robuftisfimo naufeam & vomitum excitaffe.

FERMENTUM. Vide *Triticum. Leaven.*

C. *FERRUM. Iron.*

Hujus vires medicinales parum cognitæ fuere Veteribus: Verum eft, extare mentionem valde antiquam ufûs ferri limaturæ in vino contra fterilitatem, etiam ante tempora *Æfculapii* Græci (*f*), fed tempore *Diofcoridis* ferri ufus in medicina ignotus fuit.

Apud pofteriores prædicatur præcipue quatenus vi adftringente præditum; apud *Galenum*, ferrum candens, lacti probe decocto injectum, ufurpatur in dyfenteria: apud *Plinium* aqua, ferro candefacta, datur in multis vitiis, privatim vero in dyfentericis, & ad alvum fiftendam Succus Betonicæ in vino, ferro calefacto, exhibetur.

Iisdem authoribus, Ferrugo deficcat & conftringit in morbis oculorum, valetque contra puftulas fpinofas: & fquama ferri, (id, quod in fabrilibus officinis ferrum, dum ignitur & malleo tunditur, abjicit.) fimilis eft rubigini feu ferrugini, fed vis ejus acrior, magisque adftringens, contra epiphoras oculorum affumitur, fanguinem fiftit, & fœminarum profluvia, hæmorrhoidas compefcit & ulcera fcrpentia: imponitur & exhibetur contra lienum vitia: &, Authore *Aëtio*, balneorum naturalium, ferri qualitatem habentium, vis eft ficcare, ftomacho ac fpleni convenientiffima.

P. Aegineta & *Aëtius* plures vires ferri inveftigarunt, nempe quod, præter vim ficcantem, ab eo extincto in aqua oriundam, aqua hæc ipfa pota fplenicis competat, &, fi in vino extinctum fuerit, cœliacis, dyfentericis, cholera morbo vexatis, ftomachoque exolutis, vinum id potum auxiliatur.

Addit

(*f*) *Le Clerc* Hift. de la Medicine.

Addit *Avicenna*, vinum & aquam, in quibus extinguitur, conferre apoſtemati ſplenis, mollificationi ſtomachi ejusque debilitati, & retinere ſolutionem antiquam & dyſenteriam, conferre mollificationi ani & fluxui urinæ involuntario, ac menſtruorum, & ad confortandum coïtum. *Aëtius* modum exhibendi ulterius deſcribit ſic: Convenientiſſimum ſpleni, in ſcirrhum indurato, remedium exiſtit ferrum, aquâ aut vino aut poſca extinctum. Ea ipſa autem aqua, aut vinum aut poſca, in principio exhibita, jucunda & utiliſſima exiſtunt, & per plures ex ordine dies exhibentur: itaque febrientibus aquam aut poſcam dilutam præbeto, eis vero, qui teneram carnem habent, & febre carent, vinum.

NOTÆ. Per ſe inodorum eſt & inſipidum, ſed a frictione odorem ſulphureum acquirit, & ab acidis vel ab igne odorem ſulphureum & ſaporem auſterum, ſolumque ex omnibus metallis ſcintillas amplas emittit in igne. Vapores adſcendentes a ſolutione ejus in Spiritu Salis inflammabiles ſunt, æque ac Vapores adſcendentes a ſolutione ejus in acido vitriolico, & Aër hic inflammabilis ſervari poteſt in veſicis, orificio vaſorum, in quibus ſolutio facta eſt, affixis.

Elaſticum eſt ubi ab Acidis ſolutum, ut in Vino chalybeato bene notum.

℞ Limaturæ Martis p. j. flor. Sulphuris p. iij. fiat paſta cum aceto deſtillato: pone ante ignem: flammam mox evomet, donec Sulphur conſumatur.

Effervefcit cum omnibus acidis, quæ edulcorat; proinde acido laborantes juvat.

Acidum Sulphureum ſingulare eſt ejus menſtruum; ſolvitur tamen & in omnibus acidis, quinimo & in alcalinis fixis, & ab omni Sale; imo & ab Aqua ſimplici; ſi enim ſumantur Limaturæ Martis decem partes, & una Aquæ ſimplicis, authore *Ludovico*, & contritæ in Vitro conſervali reponantur, calor mediocris ab internis evidenter ſurſum adſcendit cum odore inter ferrugineum quaſi & ſemiurinoſum, qui per 8 horas durat; friabiliori, & ſucceſſu temporis quaſi exeſo, nil tamen vitriolici ſapiente, Marte. Cum Auſterorum infuſo nigreſcit.

Facile ſolvitur in primis viis, præcipue ſi Acidum ibidem prædominetur.

Eructationes nidoroſæ vel fœtidæ, inſtar odoris Aquarum ſulphurearum, & fœces nigreſcentes, indicant efficaciam ejus.

Limatura præferenda rubigini, utpote longe magis ſolubilis, ut & Chalybi, ob eandem rationem; & eſt quidem optima præparatio, ſi cum judicio in præcordialibus ſuffocationibus, a poſitivo vitio humorali ortis, exhibeatur, non vero ad granula ſaltem aliquot, ſed debito pondere ad ℈j vel ij: in ſe enim plane innocens eſt, nec nauſeam creat, revera ſat reſolubilis, ceu excremen-

menta testantur; rodentium & effervescentium humorum inversioni, præ saturato Martis Vitriolo, convenientior, eoque & Tinctura præstantior.

Aqua ferrariorum Scabiem curat.

Ferrum alvum plerumque adstringit, diarrhœam sistens, præsertim lacte restinctum: ad ructus, vomitusque acidos valet. Operatio ejus primaria est constringere & corroborare, fit tamen sæpe aperiens, saltem ubi obstructio pendet a laxitate, unde in cachexiis, chlorosi & relaxationibus solidorum efficax, stomachum & organa chylopoietica roborans.

In rigiditate vasorum, spasmis, ubi pulsus celer, & plethoricis nocet: unde intelligitur ratio, cur aliquando menses provocet, aliquando sistat, nempe ubi alterutrum, suppressio eorundem vel fluxus nimius ab eadem causa, sive a laxitate provenit.

Apud *Musgravium* nostrum est Podagrogogon efficacissimum, evacuationibus præmissis, ad malum foras ad propriam sedem propellendum.

Et in *Miscellaneis Curiosis* prostat Exemplum Diabetis cum siti intolerabili, brevi curatæ solo usu Aquæ ferratæ, *Riverio* quoque eam in hunc finem collaudante.

C. *FICUS. the fig.*

1. *GROSSUS. The green Fig.*

Sæpe apud *Hippocratem* occurrit inter acerba, crassi succi & frigida, ad concoquendum difficilis, ad flatulenta vero, & in fluore albo curando utilis.

Grossi crudæ illitæ strumas nodosque omnes emolliunt: formicas, verrucas & thymos, (*g*) nitro farinaque additis, tollunt.

Si vero Ficus *maturæ recentes* sunt, *Ripe Figs*, sitim sedant, calorem restinguunt: dari debent frigidæ, æstate, calidis & siccis.

Ficus & Uvæ fugacibus omnibus fructibus magis nutriunt, minimumque pravi succi habent, præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. Uvæ vero minus nutriunt quam Ficus: hinc qui vinearum fructum custodiunt, & duos menses solis uvis, ficubusque vescuntur (nisi forte panis quidpiam cum illis addant) corpulenti admodum fiunt. Juvenum vires augent: senibus meliorem valetudinem faciunt, minusque rugarum.

Alvum solvunt, tam humidæ quam siccæ, ast senum solvenda Alvus mata-

(*g*) Thymus verrucæ nomen est, seu ulceris Ægyptiæ fabæ magnitudinis, quæ thymi florem repræsentat.

maturis recentibus. Ficus & Uvæ flatum creant, nisi ante alios cibos sumantur, atque etiam alia alimenta vitiant; at præsumptæ neque flatus cient, nec alios cibos una secum corrumpunt.

Stomachum lædunt fici maturæ recentes: sudorem evocant papulasque. Urinam cient.

Hæc insunt ficubus bona, quod ventrem prompte permeënt, & totum corpus facile pervadant; nam abstergendi quoque insignem habent facultatem, quo fit, ut post ipsarum usum, nephritici multas arenulas excernant. Præterea, cum omnes autumnales fructus exiguum corpori præbeant alimentum, id omnium minime ficubus usu venit, carnem tamen non compactam neque firmam generant, ceu panis & caro suilla, sed sublaxam & subinanem, ut fabæ. Flatibus tamen hæ quoque ventrem implent, essentque eo nomine admodum dolorificæ, ni etiam celeriter pervaderent, unde flatus, quos excitant, non diu manent, atque in eo minus cæteris fructibus autumnalibus lædere consueverunt.

Ficus recens discutiendi vim habet, sed concoqui non potest. Cataplasma ex ficubus pinguibus exactissime contusis, unguenti irini parum addito, facit ad duritias nervorum & ad articulos contractos, aut plus justo laxatos, & ad duros tumores, præsertim hepatis ac splenis.

2. *FRUCTUS SICCI*, seu *CARICÆ*. *Dry Figs.* Fructus aridus ficus Communis. C. B.

Non est ficus Sacræ Scripturæ, de quo *Miltonus* noster,

Not that Kind for fruit renown'd,
But such as at this day in India Known.

Harum ad Ficus eadem est ratio, ac uvarum passarum ad uvas. Sitim magis stimulant, quam ficus, & aliquantum calefaciunt.

Ob lentorem manibus adhærescunt, & illas tamen abstergent Salis lixivialis modo.

Panis simul & obsonii vicem implent. Corpus & vires alunt: ob id athletæ hoc cibo pascebantur, & iis, quos longa valetudo decoloravit, aptissimæ sunt Caricæ. Alvum subducunt, magis quam uvæ passæ. Verum Caricæ stomacho minus commodæ existunt. Quod ex iis in aqua decoctis efficitur, simile est melli, non tantum consistentia, sed & facultate.

Si quis largius esitaverit, offendetur, quandoquidem sanguinem non admodum probum gignunt, quo fit ut, juxta quosdam, ex ipsarum usu pediculorum multitudo proveniat; habent etiam tenuandi facultatem & incidendi,

qua

quæ ventrem quoque ad excretionem irritant, renesque expurgant; jecori autem lienique, inflammatione obsessis, sunt noxiæ, communi ratione dulcium omnium ciborum ac potuum: extrinsecus tamen contusæ &, adjecto melle, superpositæ jecoris & renum vitiis utiles, & splenis, fervente aceto tritæ & illitæ; coctæ enim illitæque duritias discutiunt, parotidas & furunculos emolliunt, panos ad maturationem perducunt, maxime nitro, iride aut calce additis.

In tumoribus, difficulter ad suppurationem pervenientibus, humoribus crassioribus & tenacioribus convenit cataplasma ex Caricis, in aqua decoctis ad plurimum temporis, donec melli similis evadat; oportet enim non ipsas sumere Caricas, sed aquam in qua ebullitione sint liquefactæ. Huic igitur aliquando farinam hordeaceam adjicere oportet, aliquando panem eum, qui medius est inter exquisite purum & furfuraceum; nam ubi magis concoquere consilium est, miscenda est farina triticea, ubi vero plus digerere, hordeacea: panis in horum medio est.

Carcinomati, si sine ulcere est, pinguissimam ficum imponi pene singulare remedium est, item phagedænæ.

Decoctum arteriæ & tonsillarum inflammationibus gargarizatu prodest. Fervefactæ, & cum hyssopo potæ, thoracem purgant, tussi veteri diuturnisque pulmonum malis conveniunt. Decoctum cum fæno græco utile pleuriticis & peripneumonicis.

Gutturi, arteriæ, renibus, vesicæ, anhelatoribus, hydropicis & comitialibus aptissimæ; at rheumatismis ventris & stomachi contrariæ.

NOTÆ. Valde dulces sunt, saporis mellei, nec facultatibus melli absimilis est liquor earum inspissatus, aliquantum mucilaginosæ & viscosæ, & in iis plures cernuntur fistularum ordines, oleosum quid fundentium, odoris inter edendum jucundi.

Calculus, in earum decocto tres dies digestus, mollior fiebat.

Extrinsecus applicantur ad digerendum, emolliendum, & ad accelerandam suppurationem, speciatim cum fermento & sale tritæ. Bubones pestilentiales aliosque abscessus brevi rumpit cataplasma, exinde paratum.

Applicantur assæ & inversæ tumoribus gingivarum, paronychiæ, hæmorrhoidibus, & cum atramento sutorio deploratis fere tibiarum fluxionibus, & cacoëthëis ulceribus, mederi dicuntur.

Estæ hepatis molem augent, unde Veteres ficubus anseres & porcos saginabant.

Sudorem fœtidum causant copiose ingestæ: superfluos humores ad exteriora pellunt, & dotes earum eximiæ ad Variolas maturandas celebrantur apud Arabes

bes & noſtratem *Huxhamum*. Decoctum quoque datur ad morbillos expellendos; quin & mulierculis, appropinquante partu, Ficuum toſtarum uſus, ad partum facilitandum, familiariſſimus eſt.

Si Ficus ante maturitatem ſcarificetur, fundit Lac acre, cujus acrimoniæ folia quoque non ſunt expertia; forte fructus ejusdem itidem particeps eſt, unde vires ejus diaphoreticæ ac diureticæ promoveantur. Lac inde coagulatur in caſeum. Partibus internis corporis non inſervit, nam exulcerat, foris vero illitum hoc Lac lepras, lichenas, vitiligines, pſoras, & ulcera, in capite manantia, expurgat, & ad verrucas commendatur.

Literæ, quæ ex hoc Lacte exarantur in charta, omnino inconſpicuæ ſunt, donec Charta, igni admota, vehementer incaleſcat; tunc enim velut uſtulatæ ſe manifeſtant, quod etiam Aceto, Succo limonum aliisque acidis commune eſt.

Matutino tempore aſſumptæ Caricæ è primariis ſunt remediis in alvo obſtipata.

Acria quævis mulcent potius quam Dactyli. Valde proſunt in affectibus pectoris, renum aliarumque partium urinariarum, lymphæ acrimonia excoriatarum, in decocto uſurpatæ, & in gargarismis adverſus anginam, quando tendit ad ſuppurationem.

Ad raucedinem, aſperitatem faucium ac tuſſim Caricas infundere Spiritui Vini & poſtmodum accendere & haurire, uſitatum eſt & non contemnendum remedium.

D. *FILIPENDULA* vulgaris, an Molon *Plinii*? C. B. *Dropwort.*

Folia odorata ſunt, & quendam quaſi vinoſum ſaporem palato imprimunt, qui inter maſticandum caput petit; ſaporis ſunt adſtringentis, aliquantum viſcoſi & ſubacris. Satis rubefaciunt Chartam cæruleam, decoctumque cum Vitriolo viridi nigreſcit.

Vi diuretica & attenuante inſigni pollent, & magnæ laudis ſunt in affectibus renum & veſicæ, urinam morantibus, & ad Secundinas expellendas.

Radix easdem fere qualitates ſenſiles ac vires, quas folium, poſſidet, niſi fortiores: recens odoris eſt ſecundum quosdam, ut Ulmaria; aliis, ut florum Benzoini; ſaporis dulcis, ſubamari, aromatici cum tantillo adſtrictionis & acrimoniæ. Decoctum adſtringens eſt & cum Vitriolo viridi nigreſcit. Radix Chartam cæruleam magis rubefacit, quam folium.

Aperiens eſt & abſtergens cum aliqua adſtrictione, &, ut folium, magnæ laudis in affectibus renum & veſicæ, urinam morantibus, ſpeciatim in Colica nephritica: necnon laudatur in Herniâ; & in Fluxu albo mulierum doſi ʒj in

decocto

decocto Dauci, & in fluxu nimio Lochiorum; *Prævotius* notat insuper Dysenteriam a se sæpius curatam fuisse ʒj Radicis, ex vino cum ovi vitello sumptæ.

C. *FILIX* mas, non ramosa, dentata C. B. *Common male Fern.*

Folia bicubitalia secundum *Lobelium* & *Raium*, sed cubitalia secundum *Dioscoridem:* alias nostra plerumque descriptioni *Dioscoridis* convenit. En quæ Veteres tradidere;

Radix amara est & moderate adstringit. Ulcera, quibus imponitur, citra mordacitatem exsiccat.

Latum lumbricum excutit, sumptis drachmis quatuor ex aqua mulsa, melius autem, si cum Scammonii aut Veratri nigri obolis totidem detur; sed qui sumunt, allia prægustare debent.

Lienis incremento laborantes recreat; & succi cyathus unus cum aquæ mulsæ cyathis iij pro confectione hepatica exhibetur.

In melicrato pota partum vivum necat, mortuum ejicit.

NOTÆ. Radix diu masticanti odoris gravis est, saporis dulcis, amaricantis & austeri cum tantillo caloris & acrimoniæ in gutture, satis diu durantium.

Infusum viriditatem insignem acquirit, addito Vitriolo Martis.

Succus cum Acidis clarior fit, cum Alcalicis spissior; hinc diversæ prorsus naturæ est a Filice fœminâ, quæ non rubefacit Chartam cæruleam, nec signa aciditatis exhibet, ut Mas & Osmunda regalis.

De Sapore Filicis maris credibile est, quod Auctor celebris de radice Filicis asseruit; videlicet hanc radicem purgare ut Rheum, & post sedes duas vel tres adstringere quam maxime. Pulveris ʒij compertæ sunt leniter purgare. Folia tenera adhuc, decocta & comesta, ventrem emolliunt, authore *Trago.*

Vim anthelminticam, radici Filicis maris a Veteribus tributam, confirmat *Hoffmannus*, inquiens præsentissimam pestem esse in Lumbricis longis & latis, pondere ʒiij ex aqua mulsa sumptam.

Incolæ insulæ Feroënsis radicem, in cerevisia coctam, certo experimento dicuntur usurpare adversus Calculum, cui simile nihil a *Dioscoride, Galeno* aut *Theophrasto* observatum est.

D. *FILIX* ramosa major pinnulis obtusis non dentatis C. B. *Female Fern or Common Brakes.*

Descriptio Filicis fœminæ apùd *Dioscoridem* non convenit cum Descriptio-

ne neotericorum: porro, fœmina noſtra prorſus diverſa eſt a mare, mucilaginoſa, & cibi uſum ſubinde præſtans, quum mas ſatis valenter adſtringat.

Saporis eſt viſcidi, amaricantis, minus grati quam mas.

Crediderim, *Galenum* anſam dediſſe erroribus *Raii*, aliorumque recentium, tribuendo easdem vires Filici fœminæ & mari.

Ad ambuſta omnia igne, fervidâ aquâ, vel oleo mirifice conducit radicis fœminæ vel recentis tuſæ ſuccus aut eadem exſiccata, affuſa aqua roſacea vel fontana; tunc enim exprimitur Succus mucilaginoſus, qui iis medebitur, ubi reliqua medicamenta auxilium negaverint.

1. C. *FOENICULUM* dulce C. B. *Sweet Fennell.*

2. *FOENICULUM* vulgare Germanicum C. B. *Common Fennell.*

Marathri & Hippomarathri, ſcil. Fœniculi ſativi & ſylveſtris meminit *Dioscorides*, vix ulla alterutrius deſcriptione addita. Viribus convenire videntur, & dulce tertio anno in commune tranſire dicitur.

Fœniculum homines, fame adacti, ſæpe mandunt, & apud *Galenum* inter victus attenuantes locatur, eſculentum priusquam ſiccetur; calefaciens, incidens, tenuans, & ex tertio ordine calefacientium cenſeri promeretur, ſecundum *Galenum*.

Lac generat virens & humida herba, non ſicca, quæ plus quam oporteat excalfacit & deſiccat. Semen quoque, ſi cum ptiſana bibatur, mammas lacte replet, etſi acre ſit & calidum.

Fœniculum nobilitavere Serpentes, guſtatu ſenectam exuendo, oculorumque aciem ſucco ejus reſiciendo, unde intellectum eſt, hominum quoque caliginem præſertim eo levari.

Succus caule foliisque exprimitur &, in ſole ſiccatus, inungitur ex melle ad excitandam oculorum aciem. Laudatiſſimus in Iberia ex lachrymis fit, ubi ſuccum reddit gummi ſimilem. Caulem medium, dum herba floret, ruſtici demetunt, ignique admovent, quo facilius vi caloris exudans gummi remittat, quod efficacius ſucco eſt ad medicamenta oculorum. Fit etiam, authore *Plinio*, ex ſemine recenti, & e radicibus, prima germinatione inciſis.

Ad caliginem oculorum Fœniculum viride in vas fictile, forinſecus pice oblitum, mittitur ad menſis & diei unius ſpatium, affuſa aqua pluviali, & poſtea exempto fœniculo, aqua repoſita ſervatur atque in oculum inſtillatur. Succus quoque dicitur convenire oculo inflammato.

Inflationem ſtomachi ſedant radices, in vino albo odorato vetere infuſæ, quod,

quod, ſi jejunus quis cyathos duos potet cum aquæ calidæ cyatho mixtos, optime accipietur.

In febribus nauſeam & ſtomachi ardorem ex aqua frigida potum ſedat.

Succus urinam ciet: ſic & ſemen. Comæ decoctum, bibitum, renum ac veſicæ vitiis utile eſt, quoniam urinam excitat. Menſes quoque ciet, & contra ſerpentum ictus in vino convenienter bibitur. Decoctum foliorum hauſtum fœminas a partu purgat, authore *Dioſcoride*, & ubi ſecundæ decedere non poſſint, fœniculum, vino ac oleo & melle fervefactum, bibendum jubet *Hippocrates*.

NOTÆ. *Foliorum* Odor & Sapor leniter aromaticus eſt, magis vero quam Radix, ſapor dulcis, ſubacris fere ut Aniſi, calore & acrimonia mediocri.

Folia tenera & caules dealbati comeduntur ab Italis per totam hyemem, & capſulæ ſeminales comeduntur per ſe, vel cum Oleo, aceto & pipere; ingrediuntur quoque Acetaria tanquam corrigentia frigidorum.

Sapor & odor adſcendit inter deſtillandum, decoctum reſidui inodorum eſt & inſipidum.

In ſtylo notatur Terebinthina a *Malpighio*.

Folia contuſa cum cera ſugillationes tollunt.

Aqua deſtillata viſum acuit, Oculis indita.

Herba tota, juſculis & ſorbitionibus incocta, ad corpus obeſum extenuandum utilis eſſe perhibetur.

Tota planta diaphoretica eſt: acrimoniam pectoris corrigit. Decocta pectoralia, cum Fœniculo parata, in Aſthmate & Tuſſi inveterata commendant *Foreſtus*, *Platerus*, aliique.

Radicis Cortex in uſu frequenti eſt, & in uſum præcipue trahendus. Eſt leniter aromatica, odore & ſapore dulci inſtar Paſtinacæ, ſapore ſubacri, & diu maſticanti acrimoniæ ſatis notabilis, odore, ſapore & viribus conveniens radici *Ginſeng* Chinenſium. Eſt una è radicibus quinque aperientibus. Uſurpatur in juſculis & acetariis. Menſtrua & Urinas movet, tranſpirationem adauget. Tollit tremores, a Mercurio ortos.

Semen Omnibus aliis Fœniculi partibus calidius & acrius eſt: odor ut foliorum, ſed fortior: ſapor calidus, acris, ſubdulcis cum levicula amaritudine, & inſtar Aniſi, cui viribus convenit, ſed lenius temperamentum habens.

Familiare eſt plurium locorum incolis eo condire panem, ex farina triticea contectum, ad corrigendum lentorem.

Deſtillatione multum Olei eſſentialis emittit, & præter hoc continet ſatis magnam quantitatem Olei expreſſi inodori & inſipidi.

Infusum spirituosum satis fortem Fœniculi odorem spirat, & acrem aromaticum odorem, dulci mixtum, possidet; aquosum longe debilius est; vinosum in usu præstantius.

Externe vapor decocti in imbecillitate Visus conducit, & ipsa semina contusa, partibus sugillatis & mammarum tumoribus imposita, multum ad sanguinem extravasatum & lac coagulatum discutiendum ac resolvendum valent; & vulgus semine, sputo jejuni commixto, in caligine oculorum palpebras illiniunt.

Carminativum est, contra singultum valet, & ad corrigenda Cathartica adhibetur; præstantior est Emulsio inde quam decoctum, quoniam in hoc perit vis aromatica.

Semen, Saccharo conditum, ab Acidularum potatoribus usurpatur, & sic paratum, vel per se mansum, lentam pituitam incidit & facile exscreabilem reddit. Oleum ejus in Tussi, tam catarrhali, quam inveterata stomachali, vel pectorali, idiopathica vel sympathica, prævalet Oleo Anisi & præsentaneos edit effectus, authore *Frid. Hoffmanno.*

Prostat Exemplum in *Miscellaneis Curiosis* pueri, hæmorrhagia narium enormi laborantis, qui, aliis frustra tentatis, tandem esu seminum, stolonum & summitatum Fœniculi viridis, continuato per menses tres quatuorve, curatus est, unde, nempe vi balsamica plantæ acrimoniam seri sanguinis corrigente, per biennium, præter morem, ab hæmorragia liber vixit. Ibidem prostat casus alterius, Hemicrania chronica laborantis, qui, aliis frustra tentatis, tandem sola suctione fumi seminum accensorum ex fistula instar Tabaci intra triduum a malo liberatus est.

Fœniculi Vulgaris semen vix dulcedinis particeps est, sed Fœniculi *Dulcis* semen longe dulcius est; odor dulcior, & sapor aromaticus, minus acris. Radix vulgaris dici potest Alimentum medicamentosum. Huc pertinet

PEUCEDANUM Germanicum C. B. *Hog's Fennel. Sulphur-wort. Harestrong.*

Consentio *Hoffmanno*, hoc acceptabile esse pro Peucedano Veterum, & non obstare si odor & sapor alicubi ignavus sit; ego enim (inquit) tam vegetum habui in manibus, quam ullum esse potest Sulphur.

Radix gravis est odoris. Succus fervens gustu & linguam exurens, admodum excalfaciens, digerens; quidam perungunt radice ejus, sudoris eliciendi causa, quoniam caustica vis ei inest. Tenera radix cultello osseo conciditur, profluensque è plaga Succus umbræ manditur, in sole siquidem confestim evanescit. Facit, cum colligitur, capitis dolores vertiginesque, nisi, præunctis antea naribus & insperso capiti rosaceo, id agatur. Interdum etiam con-

concreta invenitur lachryma thuris ſimilitudine, caulibus radicibusque adhærens.

Incenſum ſerpentes abigit, & eo ex oleo peruncTos tuetur a ſerpentibus.

Ejus olfactus vulvæ ſtrangulatu procidentes excitat, & veternoſos revocat.

Ventrem leniter emollit.

Liquor, ex aceto & roſaceo illitus, authore *Dioſcoride*, prodeſt lethargicis, phreniticis, vertiginoſis, comitialibus, diuturno colore capitis vexatis, paralyticis, iſchiadicis, convulſis: & in univerſum omnibus nervorum vitiis ex oleo & aceto convenienter illinitur.

Explicante *Plinio*, phreniticos ſanat, quatenus ſomnum inducens, qui contingit, peucedano ex aceto capiti infuſo è diverſo, lethargicos excitat ex aceto naribus tactis peucedani ſucco.

Aurium dolori cum roſaceo utiliter inſtillatur, &, ad mitigandum dolorem dentium, eorum cavis inditur.

Radix arida, trita, ſordida purgat ulcera oſſiumque ſquamas extrahit, veteraque ulcera cicatrice obducit.

Radix, ſed præcipue Succus, authore *Galeno*, morbis pulmonis & thoracis ex craſſitudine & viſcoſitate humorum provenientibus, convenit; &, authore *Plinio*, in jecinoris doloribus & pectoris laterisque, ſi febres non ſint. Ad lienes induratos in potione datur, craſſos humores incidens, digerens, & extenuans.

Contra tuſſim efficaciter ex ovo ſumitur, itemque ſpirandi difficultatibus ſubvenit.

Succus inflationes diſcutit, ructus gignens: Stomachi vitia ſanat: &, authore *Marcello Empirico*, qui peucedani radicem contritam ex vino frequenter biberit, nec ſtomachi dolorem, nec pulmonis inflationes ſentiet.

Difficiles partus egregie adjuvat, & in uteri ſtrangulatu, jubente *Hippocrate*, datur ex vino aut aqua.

Facit & potus ad veſicæ renumque cruciatus ac diſtenſiones, & ſuccus ex melle medetur ſtranguriæ.

Galenus monet uſum ejus (internum, ut credo) in capitis affectionibus vitandum eſſe, quia mentem perturbat.

NOTÆ. Odoris eſt picei viroſi, a πευκη *Pinu* dictum, Saporis acris, calidi, amari, reſinoſi; vetus inodora, amara cum nauſea; poſtea tamen ex eâ, cum aquâ dorſo manûs meæ admota, & per duas horas ibidem detenta, dolorem levem excitavit.

Folia quoque recentia valde fœtent, ſed exſiccata potius aromatica, & odore ſimilia Fœniculo, & ſubacria.

Radicis ſuccus luteus eſt & reſinoſus. In tumoribus diſcutit. Urinam ciet & menſes: expectorationem promovet.

C. *FOENUM GRÆCUM* ſativum C. B. *Fenu greek.*

Unius tantum Veteres meminere. Recentiores ſativum & ſylveſtre faciunt. *Dioſcorides* tanquam vulgaris notitiæ, non deſcribit ſed vires tradit noſtri, ut videtur, viribus congruas.

Succus, quod ad viſcoſitatem attinet, ſimilis eſt albo ovorum liquori, ſimul ſubacris.

Juxta *Galenum*, in ſecundo ordine calidum eſt fœnum Græcum, Oleo calidius; proinde molliendi ac diſcutiendi vim habet, & inter cibos acres numeratur, eundem hominibus in cibo uſum præſtans, quam Lupini: ſumitur enim cum garo ante alios cibos, Alvi ſubducendæ gratia, eſtque huic rei multo, quam lupini, accommodatius, cum nihil ex propria ſubſtantia habeat, quod tranſitum impediat. Manditur autem cum aceto & garo ut Lupini. Multi præterea & fœniculum & lupinos ex vino, garo & oleo ſumunt; quum tamen nonnullis caput tentet, & ſtomachum ſubvertat, multus ejus uſus cavendus eſt. Veſcuntur & nonnulli fœno Græco, priusquam ipſius planta ſemen produxerit, aceto & garo intingentes: quidam autem, Oleum adfundentes, eo obſonii vice utuntur.

Succus elixi fœni Græci, cum melle ſumptus, ad omnes pravos humores, qui in inteſtinis habentur, ſubducendos, eſt accommodus, ſuo quidem lentore leniens, calore autem dolorem mitigans, quod autem abſterſoriæ facultatis ſit particeps, inteſtina etiam inſtigat Mel, ſed parcius, ei eſt admiſcendum, ne mordacitas exſuperet.

Farina, tenuiter contrita, cum decocta aqua mulſa impoſita, adverſus tam externas quam internas inflammationes efficax eſt; ſed, *Galeno* explicante, ferventes phlegmonas irritat acerbatque: quæ vero minus ſunt calidæ & magis duræ, eas digerendo curat. Decoctum fœminarum malis, ex inflammatione præcluſioneve vulvæ ortis, fotu & inſeſſu ſubvenit. Cum adipe anſerino peſſi vice ſubditur, ad emolliendos dilatandosque locos muliebres. Viride cum aceto imbecillis exulceratisque fœminarum locis accommodatum eſt. Ipſius decoctum prodeſt contra teneſmos fœtidamque dyſentericorum proluviem. Ejusdem, in aqua decocti, cremor expreſſus capillos, furfures & achoras purgat. Cum nitro ex aceto trita & impoſita lienem extenuat, & jecur, ſi decoctum.

Damon ſemen acetabuli menſura cum ſapæ & aquæ novem cyathis, ad menſes ciendos, dedit potu.

Eſt

Eſt medicamen maxime omnium, quæ oculis applicantur, ſine offenſa digerens, in cataplasmatibus oculis vehementer inflammatis & dolentibus utile. Alibi inter maturativa, in apoſtematibus oculorum & doloribus, propter humores clauſos in interioribus corneæ, convenientia, collocatur.

Notandum, quod in oculorum vitiis, ut inſtilletur fœni græci decoctum, præparandum ſit hac ratione: principio totum diligenter in aqua dulci fœnugæcum leviter in eadem coquitur, donec quicquid habet in ſe acre abjiciat, aliæ rurſus aquæ incoquitur, effuſa priore.

Totum partibus æqualibus uvis paſſis jungitur, ut pharmacum dyſpnoicis accommodatum: & ſumitur ſorbitio e farina ad pectus exulceratum, longamque tuſſim; diu decoquitur, donec amaritudo deſinat, poſtea mel additur.

NOTÆ. Odoris eſt graviuſculi & ſimul fragrantis, ſaporis ingrati, nauſeoſi, ſubamari, in gutture viſcoſum. Oleum inde exprimitur, & in parva quantitate dat conſiſtentiam mucilaginoſam magnæ quantitati aquæ.

Spiritus Vini extrahit totum ſingularem ſaporem & odorem, poſteaque Aqua mucilaginem inſipidam dat, quæ Mucilago, Clyſtere data, in diarrhœis & dyſenteriis, ubi abraſus eſt inteſtinorum mucus, valde prodeſt: conducit & eadem ad oculorum fugillationes impoſita.

Tumorem mammarum diſcutit.

Ex farina fiunt Cataplasmata utilia in arthritide, rheumatismo, in mammis & teſticulis inflatis. Cataplasma autem ex ſemine contuſo & lacte contuſionum & ſugillationum eſt optimum remedium.

Uſu venit, authore *Simone Pauli*, ut Capilli nobis exedantur; (quos exedi volunt a peculiari vermiculorum, aciem oculi effugiente, genere.) quos Marcor Oculorum inſequitur, illum vero Calvities, cui Authores *Univerſalis Hiſtoriæ*, Ebroduni editæ, nos mederi poſſe volunt decocto Fænugræci: ſcil. Decoctum ſeminis, maceratis in eo linteolis & fronti adhibitis, oculorum fluxiones avertit, & non ſolum capillorum pediculos exſtirpat, ſi caput hoc abluas, ſed etiam efficit, ut pulchriores & longiores evadant,

D. *FRAGARIA* vulgaris C. B. *Common Strawberry*.

Valde obſcurum eſt, utrum Græcis vel nomine fuerint nota Fraga. *Plinius* Fraga tantum meminit inter cibos in Italiâ: meminerunt etiam poëtæ Latini.

NOTÆ. Herba ſaporis eſt grati, ſubadſtringentis, ſubamaricantis, mucilaginoſa.

Decoctum nigreſcit cum Vitriolo Martis; hinc roborans eſt & vim aliquantum abſterſivam habet ab amarore.

Cocta

Cocta & forma Cataplasmatis tollit ardorem vulnerum: decoctum vel succus ulcera maligna ex calida intemperie glutinat, & sordida purgat; imo in *Miscellaneis Curiosis* prostant Exempla duo solius herbæ recentis, reiterata appositione, Ulcerum pertinacissimorum Crurum sanatorum, aliis frustra tentatis.

Confer *Rubus*, cui vires similes tribuuntur.

Usus crebri est in gargarismis, gingivas confortat, inflammationes & ulcera oris sanat; ad sistendos sanguinis & mensium fluxus, ad diarrhœam, dysenteriam, & ad catarrhos cohibendos, valet.

Decoctum per se optimo cum successu Ictericis & cachecticis propinatur, si malum ortum sit a causa calida; hinc *Hoffmannus* in *Med. Offic.* testatur, iis in locis, ubi Vina bibuntur & in ebriosis, si contingat cachexiam aut hydropem se ostendere, plane divinum esse Fragariæ decoctum, si cum liquiritia, passulis & ficubus exhibeatur.

Radix earundem est virium, & dicitur prodesse in ulceribus internis, etiam pulmonum.

Fructus odoris est mitis, grati; saporis vinosi, subacidi, dulcis, mucilaginosi. Sylvestres dulciores sunt quam domesticæ.

Diureticus est, & eorum, qui copiose ingerunt, Urina dicitur odoris esse fragrantis.

Calculus, 20 dies in succo digestus, mollior fiebat; &, si comedantur ante cœnam, summum dant contra Calculum remedium.

Porro in Fragis singularem vim diaphoreticam notavit *Bartholinus*, & copiosiore cibo caput tentare author est *Cæsalpinus* & *Raius*.

Omnium fructuum maturorum dissolventissimus esse perhibetur; qui enim hunc omni mane copiose sumunt, incidunt in diarrhœam sine torminibus.

Picrocholis & Siticulosis convenit. Si conterantur Fraga in aqua vel Sero lactis præbent demulsum gratissimum & efficacissimum in Scorbuto, & ad omnes morbos ardentes, inflammatorios ventriculi & renum valent quam maxime, & cibum dant, bili appositissimum.

Quidam cum sale æneo vase recondunt, ac per 8 dies in cella vinaria committunt, donec in viridem aquam mutetur, postea autem ad oculorum suffusiones utuntur.

C. *FULIGO. Soot.* Fuligo lignorum combustorum *Pharmacop. Lond.*

Fuligo omnis exsiccatoria est, habens etiam ignis, qui materiam combussit, reliquias, tepore modico. Quæ speciatim in ea differentiæ sunt, eæ pro usta materia differunt, ex acriore & calidiore tali etiam proveniente fuligine, ex dulciore simili quoque & hinc proveniente.

Dioscorides meminit Fuliginis, è tedis collectæ, in *capite de atramento librario*,

brario, quod conficitur ex gummi ℔. j, fuliginis ℥iij, quod (ſcil. Atramentum librarium) emplaſtris erodentibus apte miſcetur, & facit ad ambuſta, ex aqua paulo craſſius inunctum, & tamdiu dimiſſum donec cicatrix obducatur: ſanatis ſiquidem ulceribus ſponte ſua decidit.

Præ omnibus in uſu eſt Fuligo Thuris, velut mitior, in ocularias medicinas tales miſta, quæ ad oculos, phlegmone & fluxione tentatos, accommodantur: ulcera quoque expurgat & carne implet. Terebinthinæ Myrrhæque fuligo moleſtia caret, non aliter quam Thuris, ſed ſtyracis quodammodo valentior eſt. Fortior eſt Pini & Piceæ fuligo, quâ, utpote acriore, ad palpebrarum defluvia, & in angulis oculorum corroſis, oculis humectatis absque inflammatione, utuntur.

NOTÆ. Oderis eſt ingrati, & frictione fortis, minus fortis quam Fuligo Carbonis foſſilis; ſaporis acris, amari, nauſeoſi, minus acris ſed magis amari, quam Carbonis foſſilis, inflammabilis.

Etſi Fumus ligni acidus ſit, Fuligo tamen aciditatis expers eſt, deſtillando alcali volatile præbens & oleum empyreumaticum.

Materies amara, & ea, in qua reſidet odor Fuliginis, æque extrahuntur Spiritu Vini rectificato, Spiritu *Proof Spirit* dicto & Aqua. Quisque horum ſolvit ejus fere unam quartam partem.

Tincturam ſaturatiorem dat Aquæ & Spiritui, quam Fuligo Carbonis foſſilis.

Uſu externo detergens; externe ingreditur linimenta contra Scabiem, Tineam, & in ulceribus malignis. Anthraci cum Sale & Vitello ovi applicata fuligo ſeparationem mali a bono procurat. Et in febribus, revulſionis gratia, plantis pedum cum ſale, albumine ovi & aceto applicatur ad ardorem extinguendum.

Uſu interno inter antiſpasmodica locum habet, in affectionibus hyſtericis, & a mulierculis plebejis uſurpatur cum ſucceſſu.

Apud Germanos Tinctura fuliginis in uſum vocata eſt in Arthritide vaga ad diaphoreſin promovendam, ad Cochl. j vel ij exhibita cum magno levamine, & poſtea ad vj, ſed præmiſſa & ſequente Catharſi, continuando ita per triduum: effectus erat exoptatiſſimus, ægro in ſudorem largum ſoluto, & de die in diem melius ſe habente.

Notetur porro, 1. Fuligo differt pro diverſitate ligni unde fit, quo magis reſinoſum lignum, eo magis oleoſa.

2. Olea omnia, ſive empyreumatica, eſſentialia, vel expreſſa, fuliginem inter comburendum præbent, in eadem principia reſolubilem.

C. *FUMARIA* Officinarum & *Dioſcoridis* C. B. *Fumitory*. Fumus terræ Capnios.

Debetur Mauritanis longe magis quam Græcis, quod illi eam pluribus commendarunt viribus, nec eis quidem contemnendis, ut, *Serapionem*, *Avicennam* & *Meſuen* legentibus, patebit.

Succus acris eſt, claritatem facit oculis delachrymationemque: Oculis enim inditus, inſtar fumi, eos moleſtando, lachrymas movet, unde nomen traxit; ſimul & amaræ qualitatis particeps eſt, nec tamen plane expers eſt acerbæ. Stringit gingivas.

Illitus hic ſuccus cum gummi prohibet renaſci palpebrarum pilos evulſos. Commanducata herba urinam bilioſam multamque provocat, ſanat jecinoris obſtructiones & debilitates; &, dandum eſſe confidenter decoctum ipſius quomodocunque febrientibus, author eſt *Aëtius*. Herba arida trita, aquæ mulſæ inſperſa, & pota, ventrem mollit, vino autem diluto ſimiliter inſperſa ſtomachum roborat, & cum aceto comeſta Ventriculo molli & debili convenit, amovens phlegma, & ſubſtantiam ejus corrugans & confortans (*a*).

Bibitur ad pruritum & ſcabiem, auctore *Avicenna*. Purgat humores aduſtos, *Serapione* teſte.

NOTÆ. Folia, præſertim recentia, ſaporis ſunt amari, acris, ſubadſtringentis, & ſuccus, oculis illitus, lachrymas elicit, ut fumus, unde nomen: in floribus recentibus acrimoniam notavi tantam, ut maſticanti fere dolorem excitaret linguæ & labiis; ſuccus foliorum eſt inſigniter amarus & acris: in ſiccis vero perit acrimonia, reſtante amarore; acrimonia ſcilicet prorſus volatilis eſt inter deſtillandum, inter decoquendum periens, unde ſemper adhiberi debet in ſucco vel infuſo.

Rubefacit chartam cæruleam. Succus vel Decoctum, repoſita, exhibuerunt in ſuperficie efflorescentias ſalinas, fere ſimiles cryſtallis Nitri, amaricantes & ſaporis leviter ſalini.

Diuretica eſt & ſudorifera; ſuccusque authore *Hoffmanno*, ab ℥v ad xj purgat.

Succus, in oculos inditus, mirifice eorum caliginem diſcutit.

Recens

(*a*) Noſtram Fumariam eandem eſſe ac *Galeni*, & *Avicennæ*, utpote ejusdem aliquantulum acerbæ qualitatis participem, mihi veriſimile videbatur ex ſequenti experimento: infuſo Fumariæ noſtræ addidi ſolutionem Vitrioli Anglicani: ſequebatur color viridis ſaturatus in mixtura & ſedimento, & apud *Aſtonum* fuſco-niger color, ut fit cum pluribus adſtringentibus.

Recens infusa & epota utramque facere paginam dicitur in malo hypochondriaco, scorbuto, Ictero nigro, materiem hepar obstruentem suaviter fundens, necnon in Scabie & Herpete: testatur enim *Simon Pauli*, se scabiosissimos restituisse infuso ex sero Lactis.

N. *FUNGUS* membranaceus, auriculam referens, sive Sambucinus. Auricula Judæ vulgo. *Jews Ears.*

Odoris est mucidi. Aquæ immersus fit mollis, & turget instar spongiæ, quasi mucilaginosus & instar Gelatinæ duriusculæ, unde quidam deducunt vires ejus in curandis inflammationibus gutturis, utpote laxantis & refrigerantis, dum alii addunt, eum multum Olei & Salis volatilis continere: *S. Pauli* inquit, fungum, vino infusum, vel in aqua appropriata exhibitum, fortiter alvum laxare & hydropicorum aquas miro modo pellere: hinc verisimilior eorum sententia, quæ huic Fungo tribuunt vim non tantum relaxantem, sed & resolventem.

Non est Venenum, authore *Alstono*, qui dicit se novisse quendam, qui bibebat Lac, in quo decoquebatur contra gutturis inflammationem, sine injuria.

Utilis esse deprehenditur in tumoribus & inflammationibus gutturis aliarumque partium rasa & applicata: in aqua & aceto macerata, impositaque oculis inflammatis, est optimum remedium.

Adhibetur & liquor in lacte decocti, aut in aceto macerati, ad gargarizandum in tumoribus gutturis, angina: in Aphthis infantum in aqua Salviæ vel lacte egregium dat remedium.

FURFUR. Bran. Vid. *Triticum.*

G.

1. C. *GALANGA MAJOR* C. B.

2. *GALANGA MINOR* offic. C. B.

Utraque Galanga veteribus Græcis ignota, sed minor Græcis recentioribus & Arabibus nota fuit.

Prostat apud *Nicolaum Myrepsum* Antidotus è Galanga aliisque aromatibus, stomachicis, lienosis & concoctione destitutis utilis; alteraque, quæ prodest frigiditati & humiditati Ventriculi, ejusque inflationi. Teste *Avicenna*, Odorem oris reddit bonum, confert colicæ & dolori renum; juvat ad coitum.

Authore *Mesue*, mane masticata & ore retenta humiditatem salivalem & catarrha-